

riatur & arescat, quando anima mœrore afficitur. Verum & hæc ex infra dicendis rectius dijudicabuntur.

XXII. Nempe nunc quidem res postulat, ut ipsam *Formam* aut rationem formalem prægestus vitæ æternæ declaremus: ubi *primum* quidem in removenda falsa sententia Enthusiastarum, sive Quakerorum, inprimis *Georgii Keithi*; deinde in adstruenda vera, quam Nostrates profitentur, doctrina; & conciliandis, quatenus inter se discrepare videntur, quorundam dictis ac sententiis, occupabimur.

XXIII. Is ergo, quem modo diximus, Georgius Keithus, qui se *Roberti Barclaji Amicum & fratrem in causa veritatis & Compatriotam*, atque ex eis unum, qui contemptim Quakeri appellantur, dicit; cum Dissertationi nostræ primæ contra Quakeros, Anno superiore M. DC LXXXII. habitæ, *Amicam responsionem*, quam vocat, pararet ostensurus *optimam Consistentiam & Harmoniam Revelationis & Inspirationis internæ & immediatæ cum sacra Scripturæ aliorumque mediolorum usu & exercitio*; inter alia Cap. II. p. II. *Fatemur*, inquit, suo & suorum nomine, *in specialibus religionis Christianæ capitibus & doctrinis externam Sacra Scripturæ revelationem, nobis aliisque omnibus necessariam esse non tantum necessitate præcepti, (quod in omnibus obtinet,) sed etiam necessitate medii. Quam in rem cum multa attulisset: Queri hic tandem fortassis posset; (ait p. 12.) quid denique relinquatur a solo Spiritu Sancto intime illuminante, inspirante & revelante manifestandum scripturis ipsis in talibus revelatis, ne dum ut mediis & instrumentis, proxime saltem & formaliter in ipso actu, concurrentibus? & respondet: Experimentalis & sensibilis Dei cognitio, non sensibus externis, sed intimis & spiritualibus obvia, qua ipse Deus in Christo & ipse Christus in vita sua, luce, lumine, virtute & Spiritu quam intime sentitur, videtur, auditur, & quam suavissime supra omnem hominis naturalis conceptum gustatur &c. Ad cuius rei pleniorum Explanationem pag. 13. notari jubet, duplicem esse rerum tam naturalium & visibilium, quam rerum divinarum & invisibilium cognitionem, unamque (legendum videtur, unam, quæ) non per res ipsas, sed per signa rerum habetur, quæ quidem sit abstractiva, remota & media, ideoque admo-*

C dum